ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris domine,

Priusquam de me meipso loquar, accipe in antecessum salutem ab heroina nostra Tesela, quae, quanquam in valetudinario tota, sub dirae Febris regno vapulat, morbum tamen atq ejus molestias patiendi constantia ulciscitur. aderam ei heri, ut soleo adesse frequens, et frequentior aliquanto huic uni viduae quam omnibus quicquid est puellarum quae in hoc oppido oppido quam paucae ad meum genium ad Elegantiam factae aut urbanitatem: explicabam Lachrymas meas in excessum Barlaei (heu quondam!) nostri; adeo autem erat hisce meis qualibuscunq versibus intenta, ut febrem tum quidem vel non senserit vel eluserit. Quod ad literas patris mei tam amanter rescribere dignatus es, communi nomine immortales gratias ago. scripsit suas me absente et ignaro, et Amstelodamum profecto, alioqui non fuissem passus molestum tibi esse de Rectoratu Bredano utpote quem Bubbemio restitui quam mihi committi malem. Si maxime idoneus essem isti Spartae, at certe non essem par sustinendae invidiae quam inde mihi conflarem Bubbemianae. Sed ignorabat rem, ut se habebat optimus pater, et quia omnem lapidem movet ut ante obitum suum, quem haud sane procul abesse praesentit, mihi de honesta provincia sit prospectum intellecto Bredanam vacare, auxus fuit illico ad tuum favorem confugere. Quare aestuanti ejus desiderio pro aequitate animi tui perillustris domine ignosces. Scribebam raptissime et modestissimus Almeriae cal. Febr. CIƆ.IƆCXLVIII.

Perillustris domine
Tuus omni nomine devotissimus cliens
Johannes Bruno

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 93
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4747

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 93
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4747

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 93
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4747

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuÿlichem, Ridder,
Raed en Secretaris van S. Hoogheÿt,

In 's Graven Hage
Port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 93
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4747